

XI. 1^f Q.

(cont. 4, g - 22.)

12.22.

A D
ORATIONEM PRIMAM
MEMORIAE
VIRI NOBILISSIMI AMPLISSIMI EXIMIISQUE
VIRTUTIBVS PIETATE IN DEVVM AC LIBERALITATE
IN INDIGENTIORES LITTERARVM CVLTORES
ADMODVM CONSPICVI

DOMINI
IACOBI FRIDERICI
AMTHORII

1754.

SERENISSIMORVM MARGGRAVIORVM
BRANDENBURGICO CVLMBACENSIVM
COMMISSARI CAMERAE AC MENSAE XVIII
IN CONVICTORIO NOSTRO FUNDATORIS
CONSECRATAM

D. XXV. IVLII IPSO IACOBI DIE A. CICIOCCCLIV

HORA IX

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
HABENDAM

ILLVSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES
ET OMNIVM ORDINVM HVIVS ALMAE STVDIOSOS
EA QVA PAR EST HUMANITATE

I N V I T A T

A CADEMIAE LIPSIENSIS

R E C T O R .

De mensis novis gratuitis in acad: Lipsiensi.

10.

4.10.

ОЛОИАНОИ ТРИАМ
И МОЛЯТЫЕ
АРТЮРИАНСКАЯ АРХИПЕЛАГ
АРТАЕВА ПЛЯТЬЯ И БЛЮДА ПРЕДНАЧАЕ
ИНДИАНСКАЯ ИНДИАНСКАЯ ОРТОЛЕС
ДОМИНИ
ЯКОБИ ФРИДЕРИКИ
АМТХОРИ
СЕЕНСИМОУА НАРГРАНОУА
БРУННЕАНУАРГОО САУМБЕРГИУА
ГОДАКИИ ГАМЕРЯ АС МАНЗАР ХУН
ДИ КУА ЛАЦИ ИСКОРОДОЛ БИ А СИСОДИА
И АДИЛ ОЛДИСОДИ
ИЛЛЭССАЛ ГОМТИС
УРДОУАР РИУАРДА - ТРОГДА
АДОЛФА АДАЛАТСА АДАЛАДА
АДАЛАДА АДАЛАДА
АДАЛАДА АДАЛАДА



Ecte vocatur Academia nostra interdum *Alma*^{a)} mater. Alit enim illa non modo animos eorum, qui studiorum gratia in ea commorantur, vera rerum diuinuarum atque humanarum doctrina, illaque eosdem muneribus, in Ecclesia, Scholis et Republica aliquando obeundis, praeparat; sed etiam corpora multorum studiosorum, qui, necessariis vitae ac studiorum praefidiis destituti, multa stipendia litteraria in illa, pariter ac victum in Coniectorio nostro accipiunt. Horum beneficiorum praecipui auctores A. CICERO XLIV. fuerunt Serenissimi ac Potentissimi Principes nostri Electores, in primis M A V R I T I V S atque A V G V S T V S, immortalis memoriae Principes, multorum stipendorum nonnullarumque mensarum publicarum fundatores, quorum munificentiam et liberalitatem deinde successores gloriosissimi indulgentissime conser-

A 2

uarunt,

a) FESTVS, antiquus Grammaticus, hanc vocem interpretatur: *Alma*, *sancta*, *sue pulchrae*; *vel alens*; *ab alendo* scilicet. Huic ANDREAS DACE-RIVS in editione, in vsum DELPHINI A. CICERO LXXXI. Lutetiae Parisiorum 4. publicata, p. 19. haec adscripta: *Alma*) Ad verbum vetus illud et plenum bona frugis Glossarium, *alma* οὐράνιος ἔργον, οὐρά, θεῖον τέρπηστος. *Alma*, *inlyta*, *sancta*, *pulcra*, *alens*. Homero ζελδωρος ἔργα, *alma* terra, quod homines nutriat. Inde Gloss. *almus* ζελδωρος. Haec tenus DACE-RIVS. Nec altera illa significatio vocis *almae*, id est *inlytae*, nostrae Academiae ab iudicari poterit.

IV

uarunt, ita, vt stipendia olim legata Alumnis Regio-Electoralibus hodieque distribuantur, hique partim, cum aliis ad mensas rei nostrae communes, e publico alendi accedant. Horum laudatissimorum Principum exemplum, hoc et superiori saeculo, haud infeliciter imitati sunt minoris fortunae et dignitatis homines, ita quidem, vt alii egestati iuuenum stipendiis litterariis quoque succurrerent, alii mensas gratuitas erigerent, alii vtrumque optimo instituto facerent. Tacemus nunc stipendia priuatorum, quae in gratiam litteratorum iuuenum condiderunt, neque vero tacere possumus nomina illorum hominum, qui mensas *nouas* exercent, suisque sumtibus iuuenibus indigentioribus cibum ac potum porrigendum curarunt. Primus eorum fuit *Michael Wirth*, Leobergensis Silesius, munerum amplitudine et meritorum grauitate illustris, qui ab anno c*1510* c*xix*. studiosos duodecim in Conuictorio nostro aluit, hodieque alit.^{b)} *Wirthium* fecutus est *Caspar Trillerus*,^{c)} Hereditarius in *Emselfoh*, redditum Electoralium olim Praefectus generalis, ac fodinarum metallicarum in Thuringia Inspector, qui A. c*1510* c*xviii*. cum Academia ita transgredit, vt duodecim studiosis victus in Conuictorio, et sex musea in Collegio Paulino darentur, quibus beneficiis ob summam annonae difficultatem, aliasque caussas, alumni eius anno demum c*1515* c*xxvii*. frui coeperunt. His addendus est tertius, M. *Iohannes Christianus Geierus*, *Martini Geieri*, immortalis memoriae Theologi, filius, qui paucis ante beatum obitum horis, non scripto,

sed

^{b)} De *MICHAEL WIRTHIO* vid. in primis Venerandi *Collegae nostri, CHRISTIANI GOTTLIEB IOECHERI*, Lexicon Eruditorum, et auctores ab illo excitatos.

^{c)} De *CASPARO TRILLERO*, et eius mensa, digna est, quae videatur *HENRICI AVGUSTINI GROSCHVFFII* Oratio de gentis Trilleriana ortu, progressu et insignibus A. c*1510* c*cciiii*. in illustri schola Portensi recitata, et Lipsiae anno sequenti impressa p. 19. seqq.

sed voce tantum, ut aliquid bonorum suorum vieti studiosorum in Conuictorio nostro impenderetur, adstantibus amice indicauit. Satisfecit etiam piissima mater, *Christiana Elisabeta*, nata *Carpzouia*, eius voluntati, ita ut ab anno **c i o i o c l x x x v i i i**. duodecim studiosi in mensa Geieriana alti fuerint, et adhuc alantur, qui etiam memoriam fundatoris oratione anniversaria recolere solent. Mensa *Henriciana*, a D. *Daniele Aegidio Henrici*, Lipsiensi, Hereditario in Müglenz, qui etiam normulla stipendia legauit, A. **M D C L X X X X I I I**. iam fundata, eius beneficiarii demum A. **c i o i o c l x x x i x**. frui coeperunt, ut propterea quartus ei locus inter mensarum conditores assignetur, quamquam ante *Geierum* iam obierat. Laudanda porro est piissima matrona *Anna*, *Iohannis Georgii Hoffmanni*, Hereditarii in *Gorschnitz*, vidua, e gente *Koerneria* nata, quae hereditatio, *Georgio Samueli Seyfrido*, in testamento d. **x v i i i** Maii A. **c i o i o c c c**. publicato, imperauit, ut quantum aeris ad duodecim studiosos in Conuictorio Lipsiensi alendos quotannis re quireretur, Academiae nostrae sine mora solueret, quo a *Seyfridi*, adhuc impuberis, parente facto, d. **x i v**. Octobr. A. **c i o i o c c i**. duodecim iuvenes hoc beneficium percipere coeperrunt, illudque adhuc percipiunt. Prospexit etiam egestati studiorum, Nationi Franconiae adscriptorum, egregie noua mensa *Valentinus Friderici*, Schmalcaldensis, S. Theologiae Licentiatius, Hebraeae linguae apud nos Professor publicus ordinarius, Collegii maioris Principum Collegiatus, Facultatis Philosophicae Assessor Senior, cuius sumtibus duodecim bonarum litterarum cultores a die **x i i**. Febr. A. **c i o i o c c i i** in Conuictorio nostro per tres annos gratuito aluntur. A. **c i o i o c c i x**. beneficentiae *Christiani Kriebelii* participes sunt facti duodecim studiosi in Conuictorio nostro. Hic non insimae fortis apud nos tabernarius ipse quidem bonas litteras haud excoluerat, sed earum cultores mirifice amauit, et

IV

vxorem suam ea lege heredem constituit, ut certam pecuniam
 summam Academiae numeraret, quo victum et potum gratuitum
 duodecim studiosis suppeditaret. In primis liberalissimus fuit
 in Ecclesiae Ministros, in scholarum Praeceptores et alumnos, et
 in egenos studiosos, *Andreas Rosenthalius*, Halberstadiensis, Se-
 renissimi ac Potentissimi Poloniarum Regis et Electoris Saxonie,
F R I D E R I C I A V G V S T I, glorioissimae memoriae Principis,
 a consiliis commerciorum, qui Academiae eam pecuniam sum-
 miam legauit, ut non modo duodecim studiosi a II. Apr. A.
C I O I O C C X I I I. in Conuictorio nostro sustententur, sed et
 singuli adhuc quotannis stipendia ex hoc legato accipient. Nec
 silentio transeunda est *Iohannis Siegfridi Ackermannii*, Reichen-
 bacensis, mercatoris Lipsiensis nuper spectatissimi, liberalitas in
 ciues suos, aliasque Variscos, qui An. c i o i o C C X L V I . praet-
 ter stipendum largum, vni cultori Iuris quotannis soluendum,
 sex studiosis popularibus victu gratuito in Conuictorio nostro
 prospexit. Libenter, nec sine sensu pietatis in cineres horum
 liberalium hominum erga nostros ciues, notmina illorum in me-
 moriam hac scripticne reuocauimus, ^{d)} qua oratio prima, in
 memoriam noui Benefactoris, nouaeque mensae in Conuiectorio
 nostro fundatoris, habenda, est indicenda. Vocatur haec men-
 sa *Amthoriana*, ab eius conditore, *Iacobo Friderico Amthorio*,
 et ordine est duodeuicesima, ita ut nunc ducenti sedecim stu-
 diosi in Conuiectorio nostro alantur, iusto tempore prandentes
 et coenantes. Vere etiam dici potest, Conuiectorium nostrum
 iam ultra duo saecula foecundum fuisse seminarium, ex quo
 multi prodierunt viri docti, qui de ecclesia, de Academiis, de
 scholis

d) Repetuum notitiam harum mensarum, a priuatis hominibus fundatarum,
 ex Programmate, quo Beatus D. *Polycarpus Gottlieb Schächerus*, nomine
 Decanorum trium superiorum Facultatum A. C I O I O C C X X I V . ad ora-
 tiones in memoriam Perillustris Baronis *de Silverstein etc.* inuitauit, quam
 tamen in nonnullis emendatam, et ad nostra tempora continuatam ex-
 hibemus.

scholis et de re publica excellenter sunt promeriti, nec dubitamus, quin etiam ad eandem laudem praesentes omnes, et *Amthoriani*, qui ab aliquo tempore accesserunt, in posterum sint adspiraturi. Fundare hanc mensam coepit *Amthorius* anno Iubilaeo Augustanae Confessionis secundo 1510 CCXXX. cuius nundinis paschalibus Academiae certam pecuniae summam soluit, et cuius census annuos ipse fundator percepit. Deinde nundinis paschalibus A. 1510 CCXXXVII. et A. 1510 CXXXX. nouas pecuniae summas addidit, ita ut census harum summarum ipse fundator, et eius vxoris, quamdiu in viuis essent, etiam acciperent. Percepit etiam eos ipse usque ad annum 1510 CCXLIII sibi emortualem, deinde post eius obitum eius vidua usque ad annum 1510 CCCLI. Quia eodem anno defuncta, prouidentia Academiae Patrum, et cura heredum pariter ac Collatorum Excellentissimorum, *) factum est, ut haec mensa d. xxv Nou. A. 1510 CCCLI aperiretur. Constat haec mensa duodecim etiam alumnis, vti reliquae omnes, et sex quidem vietum plane gratuitum habent, sex autem singulis hebdomadibus sex grossos soluunt, quod etiam a duobus coniuctoribus, ab Academia nominatis, fieri solet, quorum unus plane gratis prandet, et coenat, alter vero sex grossos contribuit. Et quum nihil restet, quam ut prima orationum anniversariorum, singulis annis, in memoriam *Amthorii*, et eius vxoris, die *Iacobi*, ex eius mente, quam in tabulis fundationis expressit, habendarum, proximo *Iacobi* die recitetur: haud inconsultum ducimus nonnulla de vita beati *Amthorii* ex illa, quam ab Amico accepimus, notitia manu exarata, praemittere, ut eius virtutes singulares praesentibus

eo

- e) Praesentes collatores sunt: Vir Maxime Réuerendus, Excellentissimus atque Amplissimus, Dominus, IOHANNES DAVID ELLRODVS, Superintendens Vonfidiensis, excellenter promeritus, et Vir Excellentissimus, Experientissimus, atque Amplissimus, Dominus Doctor GODEFREDVS SAMVEL SAAR, Consiliarius Baruthinus et Phylicus prouincialis, bene de hoc munere merens.

VIII

eo melius innotescant, et ad omnem posteritatem conserventur.

Lucem conspexit Noster d. XV Martii A. C I O I O C L X X Q V E V E N F E L D I I,^{f)} vico ad praefecturam Meinungensem in Principatu Hennebergico, sito, tunc pertinente, nunc autem Duci Hildburghusano parente. Eius parens fuit Vir Adinodus Reuerendus et Doctissimus, *Iohannes Paulus Amthor*, loci Pastor,^{g)} mater autem *Eua Margaretha*, nata *Schwartzia*, ex eodem loco oriunda. Aus paternus fuit M. *Sebastianus Amthor*, Pastor Bettenhusanus,^{h)} proauus paternus, *Mauritius Samuel Amthor*, Gymnasii Schleusingensis Rector,ⁱ⁾ et abauus paternus, *Sebastianus Amthor*, vnuis ex primis concionatoribus Euangelicis, qui Meinungam puriora sacra docuerunt: Auia materna fuit nata *Arrzbergeria*, ex Variscia oriunda, antea apud splendidissimos Nobiles de Zedwiz Liebensteinii virgo cubiculi commorata. Prima autem cura fuit optimis parentibus, vt filium recens natum sacro baptisme regno Christi iniciarent, et in hunc finem

f) Vid. GEORGII PAVLI HOENNII Lexicon Topographicum Circuli Franconici p. 419.

g) Vide de eo IOANNIS MICHAELIS WEINRICHII Kirchen und Schulfesten des Fürstenthums Henneberg p. 298. et p. 375.

h) Vid. eundem librum p. 389. Ex GODOFREDI LVDOVICI Notitia Ephorum Schleusingensium p. 76. patet, eum antea fuisse Inspectorem Alumnorum Communis Gymnasii Schleusingensis, et Diaconum Schleusingensem. Vid. eiusdem librum memoriale ill. Gymnasii Saxo-Hennebergici in recensione sexta p. 79.

i) De hoc *Mauritio Samuele Amthorio* in GODOFREDI LVDOVICI Historia Scholarum P. I. p. 139. A. C I O I O C C V I I I edita nihil habetur. Nihil etiam occurrit de eo in eiusdem LVDOVICI Notitia Rectorum Schleusingensium A. C I O I O C C X I I . publicata. Fides adeo sit penes nostram notitiam MS. Hoc tamen omittere non possumus, laudatum LVDOVICUM in Notitia Professorum Phystices Gymnasii Schleusingensis A. C I O I O C C X I I P. II. p. 3. recensere Casparem Amthorium, Philosophiae et Medicinae Doctorem, Physticum Schleusingae ordinarium, et Professorem Phystices ordinarium ab anno C I O I O L X X X I X in Gymnasio Schleusingensi, sed hunc Sebastiani supra commemorati fratrem ibidem vocare.

finem suscepentes seu patrinos elegerunt, Virum admodum Reverendum et Doctissimum, Iacobum Linckium, tunc Berkachii et Suickershusii Pastorem, nec non Fridericum Nesse, Queyendifdensem Scultetum, qui praenomina Iacobi et Friderici etiam ei imponenda curarunt. Anno aetatis suae quarto noster Iacobus Fridericus magnam quidem immaturo Venerandi Parentis sui obitu fecit iacturam; at illam amantissima mater pro virili sua reparauit, dum ipsa tenero puello capita sanctissimae religionis nostrae ac pietatis haud infucatae instillauit, eumque aliis praceptoribus formandum tradidit, qui fundamenta litterarum, elementa Arithmetices, et Latinae linguae illum doce- rent. Ita his rudimentis litterarum praeparatus Noster, in variis praefecturis scribae officio est defunctus, et tam diligenter, tam fideliter partes sibi demandatas administrauit, vt tempore succedente gratiam Duumuirorum, natalium splendore illustri- simorum, et in summa dignitate constitutorum, aucuparetur, quorum vnu Amthorium nostrum Secretarium domesticum constituit. Erat ille ERDMANNVS, Sac. Romani Imperii liber Baro a STEIN, trium Marggrauiorum Brandenburgicorum, CHRISTIANI ERNESTI, GEORGII WILHELMI et GEORGII FRIDERICI CAROLI, Consiliarius intimus etc.^{k)} Atque hoc munere desungenti gratissima nostro occasio accidit, vt Dominum suum in variis, quae per Germaniam et extra illam suscepit, itineribus comitaretur. In

primis

k) Occurrit nomen nostri Erdmanni, Liberi Baronis a Stein, vna cum eius insignibus in libro Belgico: *Verbaal van het gepasseerde voor en op de tegenwoordige Vrede-Handel tot Ryswyk etc.* Hagae Comitum in 8. 1607. edito p. 32. vbi falso Burggrauius Norimbergensis vocatur. Idem fit in alio libro Belgico, qui titulum habet: *Ryswykse Vrede-Handel etc.* et Hagae Comitum 1700, 4. est excusus P. IV. p. 157. Nam noster Burggrauius Norici fuit *Dapifer*, non Burggrauius Noricus, qua dignitate ipsi Serenissimi Marchiones Brandenburgici sunt insignes. Porro Steinii nostri praenomen Erdmanni in Cl. DV MONT Corpore diplomatico T. VII. P. II. p. 435. perperam est exhibutum EZ. B. DE STEIN, vbi *Declaracioni*

X

primis non sine magna animi iucunditate recordatus est itineris, A. C I O I O C X C V I I Rysuicum suscepit, quo Excellentissimum Steinum est secutus, qui vna cum Guolfango Philippo a Schrottenberg, Consiliario intimo aulae Bambergensis, Tractatibus pacis, Rysuici institutis, Plenipotentiarius nomine Circuli Franconici intererat. Probavit noster Illustrissimo Domino suo omnem fidem, dexteritatem, et inseruendi promptitudinem, ita ut hic Jacobum nostrum Fridericum ex hoc itinere reducem, administratorem duorum, quae possidebat, praediorum equestrium, Isaarum et Iodicum vocant, quae in Marchionatu Baruthino sunt sita, constitueret. Ut vero noster in hoc munere nouo sibi demandato eo faciliores haberet successus, de tori et laboris socia sibi circumspiciendum ratus, hoc grauissimum negotium haud sine piis precibus, quarum necessitatem et utilitatem piissima eius mater a tenera aetate ei inculcauerat, est auspiciatus. His etiam D E V S, quem Noster per omnem vitam vere timuit, reliquit locum, ut haec res ex animi sententia plane succederet. Inuenit autem Amthorius noster futuram suam vxorem Weissenstadii, seu Leucopoli, oppido inter Vonfideliam et Monachomontum sita haud incelebri,¹⁾ in Nobilissima, omnibusque, quae sexum sequiorem ornant, virtutibus condecorataissima Virgine, Magdalena Barbara, Viri Nobilissimi, Christophori Philippi Goeringii, Weissenstadiensis urbis Praefecti, et rerum bellicarum Commissarii, filia natu quarta. Consenserunt in hoc connubium huius paris coniugum cognati, celebrata sunt sponsalia, et post triplicem proclamationem A M T H O R I V S noster cum Goeringia sua in Ecclesia Isaarense d. XXVII. Febr. A. C I O I O C C I I. a Pastore Toeppensi, Melchiore Vetterleino, sacro fol-

tioni caffarum, ob quas Legati et Plenipotentiarii Serenissimorum Electorum et Principum Protestantium noluerunt subscribere pacem imperialem cum Gallia factam, Hagae Comitis 25. Oct. 24. Nou. nomine Serenissimi Marchionis Brandenburgo-Culmbencis subscrivit.

1) Vide Cl. HOENNI Lexicon supra excitatum p. 305.

follemique ritu coniunctus fuit. Hoc connubium quoque
 omni ex parte iucundum fuit, et ultra quadraginta annos dura-
 uit, at foecunditate tamen destitutum. Breui interieco tem-
 pore Excellentissimus Baro de Stein Nostrum genero suo, Illu-
 strissimo et Excellentissimo Domino, Ludouico Friderico, S. R. I.
 Comiti de Schoenburg, Steinii et Rusdorffii Dynastae, ob fidem
 et dexteritatem sibi probatam eo successu commendauit, vt is
 administrationem eorum, quae in Comitatu Schoenburgenſi
 possidebat, bonorum, eius fidei concrederet, et praefecturam
Steinensem ei locaret, titulo *Quaeſtoris praefecturae* ornato.
 Praefuit Noſter huic nouo muneri etiam ea fide et industria, vt
 Illustrissimus Comes magnam ex administratione eius vtilitatem
 perciperet, ipſe etiam, adiuuante diuina benedictione, ex pru-
 dente administratione haud parum lucraretur. Postquam autem
 ſub hoc, quod imponi ſibi paſſus fuerat, onere, fere ſuccubuit,
 et ingraueſcentem ſeneſtutem ſenſit: rogauit Schoenburgicum
 Comitem, vt ab hoc munere dimitteretur, quod etiam factum
 eſt ita, vt rationibus administrationis ſuae redditis, bonus ac
 fidelis oeconomus inueniretur. Peruenērunt etiam insignes
 A M T H O R I I noſtri virtutes ad aures Serenissimi Marggrauii
 Brandenburgico-Baruthini, G E O R G I I G V I L I E L M I, ita vt
 antequam N O S T E R ex Dynaſtia Schoenburgica Weiffenſta-
 dium ſupra deſcriptum rediret, in domo, quam ibi habebat,
 habitaturus, et bona, ab vxore accepta, administraturus, a laudato
 Principe *Commissarius Camerae* conſtitueretur, quod principale
 Diploma eius in regimine dicti Marchionatus ſuccelfores, Sere-
 nissimi P R I N C I P E S, G E O R G I V S F R I D E R I C V S C A R O-
 L V S, glorioſiſſimae memoriae Princeps, et F R I D E R I C V S
 nunc regnans, indulgentiſſime conſirmarunt. Ita Weiffenſta-
 dium N O S T E R, dilectiſſimae vxoris patriam, cum ea reuersus,
 de nulla re magis fuit ſollicitus, quam vt vitam piam, placidam
 ac tranquillam ageret, et tandem pie obdormiret. Vere affir-
 and

XII

mari potest; **A M T H O R I V M** nostrum, et eius vxorem, rarissimum exemplar omnium virtutum, quae a Christianis hominibus requiruntur, et *Weissenstadio*, et toti viciniae, praebuisse. Hi pii Coniuges enim non modo domi omnibus officiis Christianis singulis diebus accurate sunt defuncti, sed etiam sacris publicis, et dominicis, et profestis diebus, porro concionibus funebrisibus et nuptialibus, si quae habebantur, diligentissime interfuerunt. Inter haec quotidiana pietatis et virtutum Christianarum exercitia cogitauit etiam Noster *Iacobus Fridericus* in primis de variis rationibus, quibus vti posset, vt, quae diuina benignitate acquisuerat bona, in honorem Dei, et eius gloriam impenderet, et viuus pariter ac post obitum suum de ecclesia, de scholis et pauperibus atque indigentioribus, bene promereretur. Legauit in hunc finem ad conseruationem Orphanotrophei Baruthini duo mille et centum florenos Franconicos, legauit ecclesiae Vonsideliensi, incendio deletae, quingentos florenos, legauit didactra pro triginta pueris et puerillis, vt *Baruthi*, *Vonsideliae*, *Monachomonti*, *Gefresae* et *Weissenstadii*, per totum annum scholas gratis frequentare possent. Fundauit porro in honorem Dei vnde decim conciones, quarum quatuor *Weissenstadii* singulis annis, festo Natuitatis Christi, festo Paschatos, festo Pentecostes, et festo Parasceues horis pomeridianis habentur. Commemoramus autem in primis, nec posteritas commemorare negliget, **A M T H O R I V M** nostrum, qui in nulla Academia bonis litteris operam nauauerat, in duabus Academiis, *Ienenfi* et *nostra*, duas fundasse mensas, in quibus viginti quatuor conuiuctores aluntur, ita quidem, vt in nostra iisdem etiam stipendia iam fuerint distributa. Ut breuiter dicamus, **A M T H O R I V S** noster ultra duodecim mille et trecentos florenos ad pias causas legauit, quod vix ab homine priuato, huius loci et ordinis alio, factum fuit. Quanquam autem **N O S T E R** legator vitam vere Christianam agere studuit, et fidem, bonis operibus foecundam, omnibus

bus satis superque probauit, nihilominus infirmitates carnis sensit, Deumque rogauit quotidie, ut, quae committeret peccata, sibi indulgentissime remitteret. Neque vero in eo substituit eius pietas, sed etiam saepius ad sellam confessionariam accessit, et postquam peccata suo confessionario confessus est, illa serio doluit, eorum remissionem petit, nouamque obedientiam promisit, quorum absolutione facta, ad sacram coenam accessit, corpore et sanguine I E S V C H R I S T I recreatus, quo aeternitatis pane et poculo, septem ante eius obitum hebdomadibus, in publica communione est vsus. Deueniendum enim nunc est ad eius vltima, quae Calendis Februariis anno huius saeculi quadragesimo tertio contigerunt. Laborauit ille quidem sub initium mensis Ianuarii huius anni incommodis pectoris, quibus idoneis, quae ad manus erant medicaminibus, occurtere studebat. Sed illa incomoda haec non tollebant, crescebat potius infirmitas, cessabat orexis omnis, neque tamen vis morbi lecto illum affigebat, at sacris publicis Noster amplius interesse haud poterat. Inter haec incomoda et grauissimas molestias vitam traxit usque ad finem mensis Ianuarii, sed ipsis Calendis Februariis ab omni malo est liberatus, apoplexia quidem vehementi correptus, quo die inter preces et lacrymas carissimae suae *Magdalena Barberae* animam suam suo Seruatori reddidit. Vixit noster septuaginta et unum annos, undecim menses, duas hebdomadas duosque dies. Eius exuviae d. III. Febr. Ecclesiae Leucopolitanae sunt illatae, et iuxta cineres saceri sui et socrus sunt collocatae, habita antea concione funebri et oratione parentalii, eius memoriae sacra. Eius vxor ultra octo annos post eius obitum vixit, annum septuagesimum secundum supercessa, d. XI. Sept. A. C. I O I O C C L I extincta. et d. XV. eiusdem mensis eidem Ecclesiae, iisdem ceremoniis illata, ubi ambo resurrectionem expectant. Si vero mercede sua non frustratur, qui prophetae vel discipulo Christi poculum aquae frigidae bibendum dederit: qua

XIV

mercede et gloria non fruentur horum piorum animae coram throno Dei, qui tot pauperibus et indigentioribus cibum ac potum pararunt, inter quos et Prophetarum filii sunt, et, quod speramus, discipulorum Christi etiam imitatores? Prospexit A M T H O R I V S conseruationi memoriae suae, in hac mortalitate, fundatione orationis anniversariae, die *Iacobi*, ab uno ex eius alimentariis recitandae, vt eius alumni, in quorum profectus, cuicunque facultati sint addicti, examinibus etiam cum illis institutis, secundum fundationem aliquoties singulis annis inquiritur, haberent etiam campum, in quo eorum virtus excurrere possit. In hac oratione, qua Orator specimen profectuum suorum, in litteris humanioribus factorum, edere debet, mentionem quidem faciat A M T H O R I I et eius *vxoris*, sed fundator alios etiam fines indicavit obseruandos, vt scilicet in gloriam, honorem et laudem Dei, cui gratiae habendae essent, in incrementum inclytiae Academiae nostrae, in utilitatem studiosae iuuentutis, et in incitamentum etiam aliorum liberalium et beneficorum hominum institueretur, quo eiusmodi vel alia beneficia studiosis iuuenibus conferrent. Quemadmodum autem beneficiarii A M T H O R I A N I, et alii, priores fines inter fines studiorum suorum generatim habere possunt: ita optandum esset, vt vel ex Principum aerariis, praecipue illis, in quae bona ecclesiastica olim fuerunt illata, vel ex fundatione priuatorum hominum diutiis abundantium, selectioribus Theologiae studiosis largiora stipendia darentur, quibus adiuti, omnem Theologiae ambitum emetirentur, atque ad laudem eminentiorum Theologorum, olim obtinendam, sine impedimentis contendere possent. Indigit enim nostra Ecclesia Euangelica eruditissimis Theologis, et indigebit in posterum eo magis, quo maiore conatu nonnulli Pontificii in quibusdam Academias nunc incipiunt gloriae illi principatus litteraturae, qua nostrae Academiae prae Romano-Catholi-

cis adhuc excelluerunt,^{m)} inuidere, illi detrahere, et si fieri possit, dubiam eam facere, vel praeripere, in posterum tentabunt, hac noua eruditionis, quam sibi parare cupiunt, specie, ad errores suos incrustandos, et ad corrumpendos Euangelicos abusuri. His malis vero, quae praeuidemus, piis precibus, quae optima sunt ecclesiae arma, occurrere quidem partim licet: sed requiruntur etiam eruditii et consummati Theologi, qui solida rerum diuinorum cognitione, ex sacrae scripturae fontibus, et praesidiis ecclesiastico-historicis, repetita, instruci, libros aduersariorum masculine et modeste confutent, sanctissimam religionem nostram ab eorum obiectiōnibus tueantur, eique addictos ab illorum seductiōne praeseruent. Haec vero solidior eruditio Theologica, quum in hac rei litterariae facie, sine magno rerum gerendarum neruo, comparari haud possit; lautioris autem fortis studiosi, raro etiam ex nobili sanguine prognati, animum ad sanctiorem disciplinam appellant, quod fieri non deberet: bene de Ecclesia Euangelica ii promererentur homines diuites ac beati, qui stipendia maiora in gratiam quorundam studiosorum Theologiae fundarent, qui felicioribus ingenii praediti, et litterarum humaniorum cognitione praeparati, pia etiam vita commendabiles, certam spem solidioris doctrinae facerent, illaque instructi publica illius specimina ederent, et iisdem salutem Ecclesiae et incrementa studii Theologici promouerent. Alii etiam stipendia magna pro nonnullis Theologiae Candidatis fundare possent, ut itinera in exteras regiones fusciperent, in recentissimum religionis Christianae statum, et in varias, in quas Christiani distracti sunt, familias, sollicitius inquirerent, et historicos illorum et dogmaticos et polemicos libros praecipuos, libros etiam incredulorum, aliorumque religionis hostium, compararent, et ex conuersatione cum eruditis aliarum re-

gionum

^{m)} Videri potest de praerogatiis Academiarum Protestantium prae Romano-Catholicis praefatio, quam IOH. ERH. KAPPIVS HENRICI BENZELII, Archiepiscopi Vpfaliensis, Syntagmati dissertationum A. CIOICCCCXLV. 4. edito, praemisit.

XVI

gionum et religionum instructiores et eruditiores et prudentiores euaderent, adeoque eo melius saluti ecclesiae suo tempore consulere possent, si grauioribus in Ecclesia muneribus ita praeparati adhiberentur. Huic excursioni occasionem nobis dedit vitimus ille beati AMTHORII finis orationis, supra indicatus, ut alii etiam stipendia in gratiam bonarum litterarum cultorum legarent.

Nunc autem oratio prima, memoriae AMTHORII et eius uxoris sacra, est indicenda. Defungetur Oratoris munere, et hoc pietatis officio, Nobilissimus et Doctissimus Iuuenis, IOHANNES BARTHOLOMAEVS ROGLER, Sumadengruño-Baruthinus, SS. Theologiae Cultor perindustrius, qui de legatorum vtilitate, in usum Academiarum factorum, differet. Venite ergo ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMIQUE ET NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES, frequentes, vestraque praesertia commonstrate, quam grata Vobis sit memoria AMTHORI nostri, viri, uti aliis virtutibus maximis clarissimisque praedicti, ita ob liberalitatem in nonnullos Academiae etiam nostrae ciues aeterna laude digni. P. P. Dominica VI. post Sacrosanctae Trinitatis festum. A. R. G. CIOCCOLIV.



Yc 6668

ULB Halle
002 639 041


3



87

AB. 19 + 20 Augs. 1894

VD 77 m.d.



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

A D
ORATIONEM PRIMAM
MEMORIAE

VIRI NOBILISSIMI AMPLISSIMI EXIMIISQUE
VIRTUTIBVS PIETATE IN DEVVM AC LIBERALITATE
IN INDIGENTIORES LITTERARVM CVLTORES
ADMODVM CONSPICVI

D O M I N I
I A C O B I F R I D E R I C I
A M T H O R I I

SERENISSIMORVM MARGGRAVIORVM
BRANDENBURGICO CVLMBACENSIVM
COMMISSARII CAMERAE AC MENSAE XVIII
IN CONVICTORIO NOSTRO FVNDATORIS
CONSECRATAM

D. XXV. IVLII IPSO IACOBI DIE A. C I C I C C L I V
HORA IX

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
HABENDAM

ILLVSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQVE REIPVBЛИCAE PROCERES
ET OMNIVM ORDINVM HVIVS ALMAE STVDIOSOS
EA QVA PAR EST HUMANITATE

I N V I T A T
A C A D E M I A E L I P S I E N S I S
R E C T O R .

De mensis novis gratuitis in acad: Lipsiensi.